

NONVS.

concludere illud hoc pacto conabimur. In anno 23. quemadmodū scripsit Dionysius Ptolemæo referente 21. die transacto mensis Idis, uidebatur Mercurius apud stellam uehementer lucidam, quæ est orientalis in Capricorno, distans ab eadem quantitate diametrorū luminarium septentrionem uersus. Tunc autem ut numerauit Ptolemæus, hæc stella fuit in 22. gr. & tertia Capricorni. Fuit em̄ in anno 486. Nabucho, 17. die mensis Tangut ægyptij transacto, in matutino diei, 18. Sole secundum cursum mediū in 18. gr. Aquarij & sexta existente. Ideo longitudo maior matutina à Sole medio loco fuit 25. gr. & medietas & tertia. Huic autē longitudini Ptolemæus ex antiquis comparem ex duabus tamen elicit hoc modo. In anno prædicto 23. ut scripsit Dionysius, die quarto mensis Thatertum, in hora noctis prima, fuit linea quæ transit super duo cornua Tauri diminuta à loco Mercurij trium diametrorū luminarium quantitate, & æstimabat q̄ in transitu eius longitudo ad meridiē fuit maior tribus diametris luminaribus donec locus eius, secundū q̄ Ptolemæus numerauit, esset in 23. gr. & duabus tertijs Tauri. Nam fuit in anno Nabucho. 486. in mense Pheminit, in uespertino diei primi eius Sole secundū cursum mediū in 29 gr. 30. m̄. Arietis existente. Ideoq̄ longitudo uespertina Mercurij à loco Solis medio fuit 24. gr. 10. m̄. Item, ut scripsit Dionysius in anno eius 28. die septima mensis geminalis, uisa fuit stella mercurij obuia capitibus geminorū, meridionalior quidem capite gemini sequentis secundū quantitatē tertiæ partis diametri Lunæ. Et uidebat̄ distare ab eodē capite paulominus duplo eius q̄ est inter duo capita. Et quia caput gemini sequentis secundū numerationē Ptolemæi tunc erat in 22. gr. 40. m̄. geminorū, elicitus est Mercurius uideri in 29. gr. 20. m̄. Gemi. Et consideratio fuit in anno 491. Nabucho, 5. diebus transactis mensis Phormite, hora noctis prima. Solē secundū mediū cursum in 2 gr. 50. m̄. Gemi. existente, quare longitudo uespertina Mercurij à loco Solis medio fuit 26. gr. 30. m̄. ¶ Præterea differentia mediorū locorum Solis in his duabus considerationibus fuit 33. gr. 20. m̄. Sed differentia longitudinum uespertinarū 2. gr. 20. m̄. Differentia autē longitudinis, cui cōparem quærimus, supra longitudinē primam harū considerationū est unius gr. 40. m̄. Accipienda est itaq̄ pars p̄portionalis ex 23. gr. 20. m̄. secundū p̄portionem 1. gr. 40. m̄. ad 2. gr. 20. m̄. Ipsa autē prouenit ferè 24. gr. addendi ad locum Solis medium primæ considerationis, scilicet 29. gr. 30. m̄. Arietis, p̄dibuntq̄ 23. gr. 30. m̄. Tauri. In quo quidem loco Sole existente, fit longitudo Mercurij uespertina maxima 25. gr. 50. m̄. Reperta est igitur compar longitudo primæ, in q̄bus differentia locorū Solis mediorū 95. gr. 20. m̄. cuius medietas est 47. gr. 40. m̄. adiecto loco Solis primæ considerationis, qui fuit 18. gr. 10. m̄. Aquarij, producit 5. gr. 50. m̄. Arietis. Linea ergo per centrū mundi, & longitudinē longiorem & propiorem ecentrici Mercurij transiens hoc tempore fuit in 6. gr. Arietis, quæ p̄ obseruationes prædictas Ptolemæi uenit ad 10. Arietis. Et quia inter has Dionysij & Ptolemæi considerationes fuere, 400. anni ferè, constabit hanc lineam motam esse in 400. annis ferè p̄ gr. 4. quare in 100. annis mota fuit p̄ gr. 1. ferè. sed & in Tauro in tanto tempore tantus stellarum fixarum motus suo in loco, ut per Ptolemæum prædicabatur, quare apertum est q̄ intendimus.

PROPOSITIO XIII.

Ampliori obseruationum testimonio idem confirmare.

Dionysius